Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Ecard

Isagoge In Catechismum Lutheri : Tyrocinia Literaturae Sacrae Continens, Et Pietati Discentium In Schola Franckenhusae Inserviens

Jenae: Weidnerus, 1612

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1026876915

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1026876915/phys_0001

Johannes Zincke
Anno domini
1623 n. 1

Johannes Z

Catal. No 232

Johannes Zincke
Anno domini
1655

KHA. A 11.1-3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1026876915/phys_0002

ISAGOGE
In Catechismum LUTHERI.

TYROCINIA LITERATURÆ SACRÆ CONTINENS, ET PIETATI DISCENTIUM IN SCHOLA FRANCKENHUSÆ INSERVIENS.

MEDITANTE

HENRICO ECKHARDI
SS. Theologiæ Doctore & Superintendente Schwartzburgico.

JENÆ
TYPIS JOHANNIS WEIDNERI,
ANNO CHRISTI

cIↃ IↃCXII.

BRENTIUS IN
Præfatione Catechismi
pagin. 10.

Ducem esse pueris ad audiendum & discendum Catechismum, est praire eis ad percipiendam veram & æternam vitam.

PRUDENTISSIMIS, SPECTATISSIMIS & doctissimis Viris, Reipublicæ Franckenhusanæ

DNN. CONSULIBUS ET SENATORIBUS, ÆRARII Ecclesiastici Provisoribus, & Scholæ Inspectoribus, Salutem & Gratiam.

TIMOTHEUM suum Divus Apostolus Paulus *Ep. 2. cap. 3* commendat, quòd à puero sacras literas didicerit: Et D. Johannes suis, ad quos scribit, pueris testimonium perhibet luculentum, quòd Patrem cœlestem cognoverint,

4 1. *Ep.* 2. *v.*14. quæ sanè cognitio absq; omni literarum sacrarum scientia obtingere ipsis haud potuit. Hanc verò laudem ut omnes alii sectentur, nõ pietas modò, sed ipsa quoque necessitas summoperè efflagitat. Cum enim CHRISTO in Baptismate consecrati, & Fidei atque Religioni Christianæ initiati fuerint, quid magis necessum, quàm ut illius cognitione à teneris imbuantur; præsertim, cùm DEUS ex ore etiam puerorum & tenellorum nomini suo augusto laudũ

trophæa

trophæa erigi maximoperè 5
desideret, *Psal.* 8. *v.* 3. Quapropter illorum, quibus tenellæ ætatis cura incumbit, studium hoc præcipuum esse debet, ut ad *Catechismum*, qui Epitome quædam est doctrinæ cœlestis, statim adsuefaciant. A teneris namque adsuescere multum est: Et quæ in pueritia imbibuntur, tenaciùs hærent. Quibus ergò juventutis Scholasticæ informatio demandata est, his inprimis opera danda est, ut in doctrina Catechetica pueros suos studiosè & sedulò exerceant. Etsi verò

hactenus in schola etiam hac nostra exercitia ista Catechetica in usu fuerint, operæ tamen pretium me facturum esse duxi, si ejusmodi libellum conscriberem, qui non solùm definitionum perspicuitate puerorum intelligentiam, sed grata etiã brevitate eorundem memoriam juvaret. Et qui nõ in tenera modò, sed adultiore etiam ætate ipsis atq; aliis usui esse posset. Nec est, ut hoc modo Catechismum LUTHERI ex puerorum manibus extorqueri quispiam suspicetur; Cum potius per hanc

Isago-

Isagogen pueris magis magisq; commendetur & declaretur. Quamobrem etiam verba Lutheri ex Catechismo ubiq; apposita sunt.

Vobis autem, spectatissimi Viri, hunc libellum dedicare visum est, ut inde meam non pro Ecclesia tantùm, sed schola etiam vestra solicitudinem adverteretis.

Studium igitur hoc meum ut vobis sit acceptum, & scholasticæ juventuti fructuosum, seriò opto. Francohusæ 21. d. Aprilis Anno 1612.

V. Ampl. & Prud.
Studiosissimus

Henricus Eckhardi
D.

PRÆCOGNITA.

Quodnam est officium hominis Christiani?

Doctrinam cœlestem ore profiteri & illi toto corde ad ultimum usque vitæ halitum adhærere.

I. De Scriptura.

Quid est doctrina cœlestis?

Est doctrina cœlitùs patefacta, librisque Propheticis & Apostolicis comprehensa, verum DEI cultum ostendens.

Quinam sunt libri Prophetici?

Qui ab hominibus authoritate Propheticâ divinitùs instructis ante Christi incarnationem sunt conscripti & Ecclesiæ relicti.

Quotuplices sunt libri Prophetici?

Hebræi in quatuor classes dispescunt.

I. Classis est quinq; librorum Mosis, quos Pentateuchon vulgò appellitant.

II. Est

II. Est quatuor librorum historicorum, ce u Josuæ, Judicum, Samuelis & Regū.
III. Quatuor majorum, & duodecim minorum Prophetarum.
IV. Denique Hagiographorum, cujusmodi sunt liber Psalmorum, Proverbiorum Salomonis, Cantici Canticorum, Jobi, Paralipomenon, Ruth, Esther, Esdræ & Nehemiæ.

Quodnam est præcipuum objectum librorum Propheticorum?

Oracula & vaticinia de CHRISTO.

Quo idiomate conscripti sunt libri Prophetici?

Idiomate Hebræo.

Quinam sunt libri Apostolici?

Qui post CHristi incarnationem prodierunt, & ab Apostolis sunt vel conscripti, vel saltem approbati & Ecclesiæ Christi commendati.

Quotuplices sunt?

Triplices, nim. Historici, Didactici & unus Mysticus.

Historici sunt quatuor Evangelia & Acta Apostolorum.

Didactici sunt Epistolæ Apostolorum, Pauli nimirum, Petri, Johannis.

Mysticus est Apocalypsis Johannis.

Quid continetur libris Apostolicis?

Vaticiniorum Propheticorum tùm impletio, tùm plenior illustratio.

Quo idiomate sunt descripti?

Græco, quod tum omnibus ferè gentibus erat cognitum.

Quomodo appellantur libri Prophetici & Apostolici simul sumpti?

Scriptura sacra & Canonica.

Sacra propter causam tum efficientem, tum materialem, quæ utraq; est sacrosancta. *Canonica* propter finem, qui est Canon, regula & norma tum credendorum, tum faciendorum.

Cur voluit DEus verbum suum Scripto consignari?

Ne illius veritas aut oblivione amitteretur, aut sinceritas sub Traditionum

ditionum prætextu corrumperetur.

Unde suam scriptura sacra habet autoritatem?

Neq; ab Ecclesia, neq; à Conciliis, sed à spiritu sancto, qui illius est autor. 2. Timoth. 3. Porrò.

Quot sunt partes doctrinæ cælestis? II. De differentia Legis & Evangelii.

Duæ: Lex & Evangelium.

Quomodo differunt Lex & Evangelium?

1. *Notitiâ.* Lex enim naturaliter, Evangelium autem ex revelatione demum cognoscitur.

2. *Materia.* Quia Lex tradit doctrinam bonorum operum, Evangelium autem doctrinam fidei.

3. *Forma.* Lex quippe consistit in rigida exactione & adjuncta comminatione, Evangelium verò in blanda & suavi promissione.

4. *Effectu.* Lex arguit, & operatur iram, Evangelium consolatur, & annuntiat gratiam.

5. *Sub-*

5. *Subjectis.* Evangelium nanq; pœnitentibus & contritis annuntiatur: Lex verò etiam impœnitentibus & obstinatis.

III. De Lege.

Quotuplex est Lex?

Triplex, Moralis, Ceremonialis & Forensis.

Moralis est, quæ regulam piè justeque coram DEO vivendi omnibus omnium temporum hominibus præscribit.

Ceremonialis, quæ tempore Levitismi statum Ecclesiasticum certis ritibus & ceremoniis informabat.

Forensis, quæ societatem Politicã Judæorum certis sanctionibus atque constitutionibus dirigebat.

PARS CATECHISMI PRIMA
DE DECALOGO.

Quo alionomine appellatur Lex moralis?

DECALOGUS appellatur.

Vnde

A decem Præceptis, quibus Summa Legis moralis continetur.

Quomodo dividitur?

In Tabulam primam & secundam.

Quæ est inter utrang; differentia?

Hæc est, quòd prima tradit Præcepta de diligendo DEO: secunda de diligendo proximo.

Dic utriusq; summam!

Summa comprehensa est responso illo Christi Matth. 22. Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde, totâ animâ & omni virtute: proximum insuper diliges sicut teipsum.

Quot Præcepta continet prima Tabula?

Tria: quorum primum est de non habendis Diis alienis: secundum de pia & legitima usurpatione nominis divini: tertium de sanctificatione Sabbathi.

Quorsum

Quorsum autem refers Præceptum de non faciendis imaginibus, quod in Exodo legitur?

Ad Præceptum primum. Imagines enim, quæ prostant ad cultū, nihil sunt aliud, quàm Dii alieni.

Dic igitur Præceptum
PRIMUM!

Non habebis Deos alienos.

Quid hoc sibi vult?

Debemus DEUM timere, supra omnia diligere & illi soli confidere.

Quid ergò requiritur in Præcepto primo?

Ut Deum colamus fide integra, spe sincera, & charitate perfecta. August.

Quid prohibetur?

Quicquid cum prædictis istis virtutibus pugnat, ceu inprimis infidelitas, desperatio, contemptus Dei, omnisq; fiducia aliena.

Annon

Annon verò prohibentur etiam imagines & statuæ in Præcepto primo?

Non simpliciter, sed certo respectu: quatenus sc. prostant ad cultum. Non ergò factura, sed cultus imaginum damnatur.

Dic Præceptum SECUNDUM!

Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum.

Quid hoc sibi vult?

Debemus Deum timere & diligere, ut ne per nomen ejus maledicamus, juremus, incantemus, mentiamur, aut dolis fallamus: sed in omni necessitate illud invocemus, adoremus & cum gratiarum actione laudemus.

Quid igitur in hoc præcepto secundo requiritur?

Ut non tantùm in corde nostro de sacrosancto nomine Dei reverenter & honorificè sentiamus, sed externa etiam oris confessione, præ-

ne, prædicatione, invocatione atq; glorificatione reverentiam illam publicè testemur.

Quid prohibetur?

Omnis irreverentia atq; abusus nominis divini, qui multis quidem modis, potissimum tamen periuriis, blasphemiis, vanis adjurationibus & superstitiosis incantationibus committitur.

V. De juramento. *Num Præcepto secundo etiam prohibentur juramenta?*

Non omnia, sed illa tantùm, quibus assumitur nomen Dei *in vanum*, hoc est, illicita, temeraria, dolosa & per creaturas facta.

VI. De invocatione Sanctorum. *Anne verò permittit præceptum secundum, ut præter Deum invocemus etiam demortuos sanctos?*

Nequaquam. Sic enim honor soli DEo debitus transferretur ad creaturas. Ubi meminisse oportet, quid Christus inquiat, respondens Satanæ: DEUM tuum ado-

adorabis, & illi soli servies. Matth. 4.

Dic Præceptum.

TERTIUM.

Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.

Quid hoc sibi vult?

Debemus Deum timere & diligere, ne divinos sermones ejusq; verbum contemnamus; sed ut sanctum reputemus, libenter audiamus & discamus,

Quid ergò requiritur in hoc Præcepto?

Pia & religiosa dierum sacris exercitiis dicatorum celebratio.

Quid prohibetur?

Actuum sacrorum omissio & prophanorum commissio.

Qui sunt actus illi sacri?

Concionum auditarum meditatio: cantionum Ecclesiasticarum modulatio, & Sacramenti ordinarii usurpatio.

Num igitur alia quæcunq; opera die Sabbathi sunt illicita & præcepto tertio adversa?

Non, sed illa, quæ vel cum impietate & scandalo, vel cum Ministerii Ecclesiastici & sacrorum Exercitiorum contemptu sunt conjuncta.

Quæ ergò sunt concessa & licita?

Quæ vel in casu necessitatis, vel in gloriam DEI, conservationem Ministerii, aut utilitatem proximi, citra animi profanitatem suscipiuntur.

Quatenus abrogatum est Præceptum de Sabbatho?

Non, quatenus est morale, sed quatenus ceremoniale. Ipsũ enim gen⁹, quod est Ministerii conservatio & populi ad audiendum verbum DEi congregatio, adhuc obligat.

Quot Præcepta continentur in secunda Tabula?

Septem: quorum primum autoritatem parentum, secundum vi-

tam

tam, tertium conjugium, quartum opes & facultates, quintum honorem & famam proximi concernit: Sextum verò & septimum ipsam quoq; interiorem concupiscentiam, ejusq; primos motus coërcent. 19

Dic ex Luthero Præceptum QVARTUM?

Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut sis longævus super terram.

Quid hoc sibi vult?

Debemus Deum timere & diligere, ne Parentes & dominos nostros contemnamus, neq; ad iram commoveamus: sed honore afficiamus, morem geramus, illis serviamus, amore eos prosequamur & magnifaciamus.

Quid ergò hîc requiritur?

Subjectio, observantia, reverentia & obedientia inferiorum erga superiores in suis ordinibus.

Civilis, Domesticus, Ecclesiasticus & Scholasticus. In Civili honorem & obedientiam præcipit subditis erga Magistratus.

In Domestico liberis erga parentes & tutores: itemq; servis erga suos dominos.

In Ecclesiastico auditoribus erga pastores, morumq; censores.

In Scholastico discipulis erga Præceptores.

Quænam circa hanc inferiorum obedientiam observanda est Regula?

Quam tradiderunt & observarunt Apostoli Actor. 5. Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

Quid prohibetur in præcepto quarto?

Despectus & neglectus Superiorum. Et hûc pertinent sponsalia liberorum parentibus vel inscîis vel invitis inita.

Dic

Dic Præceptum QVINTUM?

Non occides.

Quid hoc sibi vult?

Debemus DEum timere & diligere, ne vitæ proximi nostri incommodemus, aut ægrè faciamus, sed illum adjuvemus & promoveamus in omnibus vitæ necessitatibus.

In hoc ergò Præcepto quid prohibetur?

Homicidium, cujus distincti sunt gradus.

I. Est vis externa, quæ ex *privatâ* vindicandi & nocendi cupiditate proximo infertur.

II. Rancor & malevolentia cordis irâ *injustâ* adversus proximum æstuantis.

III. Murmurationes & increpationes ore maledico factæ, & ex carnali affectu ortæ.

VII. De vindicta.

Cur addis in gradu primo, ex privata vindicandi cupiditate?

Quoniam vindicta duplex est, pri-

vata & publica. *Privata*, quæ privata autoritate: *Publica* verò, quæ publica Legum autoritate exercetur. Illa prohibetur, hæc verò non.

Cur in secundo gradu addis, irâ injustâ?

Quia ira quædam justa est, & laudem non vituperium meretur.

Quænam verò?

Illa, quæ amore gloriæ Dei, honestatis & justitiæ adversus impietatem & turpitudinem concipitur.

Cur in tertio gradu additur, ex affectu carnali?

Quoniam longè alia est ratio istarum imprecationum, quæ ex motu & impetu Spiritus adversus præfractos contemptores feruntur.

Quid verò exigitur in Præcepto quinto?

Ut proximum nostrum diligamus, non linguâ tantùm & verbis,

bis, sed opere etiam & veritate. 25
1. Ioh. 3.

Dic Præcepum SEXTUM.

Non mœchaberis.

Quid hoc sibi vult?

Debemus Deum timere & diligere, ut castè & pudicè vivamus in verbis atq; operibus, & unusquisq; suam conjugem amet & honoret.

Quid prohibetur in Præcepto sexto?

Omnis immundities & luxuria. Cujus hi sunt gradus.

I. Incestus & quævis externa commixtio extra conjugium, ceu fornicatio, adulterium & Sodomia.

II. Turpiloquium & obscœnitas verborum.

III. Lascivia gestuum, & IV. Impetus interiorum libidinum.

Quid præcipitur?

Pudicitia & castitas, tum in Conjugio, tum extra illud.

Dic ergò, Quid sit conjugium?

VIII. De Conjugio. Conjugium est legitima & indissolubilis unius maris & unius fœminæ in unam carnem consociatio.

Quid spectari debet in Conjugio, ut pro legitimo habeatur?

Tria hæc spectari debent. 1. Pubertas. 2. Reverentia sanguinis. & 3. Consensus tum contrahentium, tum eorum, in quorum sunt potestate.

Annon verò spectari hîc etiam oportet statuum & ordinum discrimen?

Nequaquam. Honorabile enim est conjugium in omnibus. Hebr. 13. Neq; verba illa primæ institutionis & benedictionis, *Crescite & multiplicamini*, ullius ordinis aut status in iis, qui ad matrimonium habiles sunt, exceptionem admittit.

Quomodo solvitur matrimonium?

Per adulterium, malitiosam desertionem & mortem.

Quid

In veteri quidem Testamento illa fuit tolerata & patribus indulta: verùm à CHRISTO pòst abrogata & ex Ecclesia Novi T. proscripta.

Dic SEPTIMUM Præceptum.

Non furtum facies:

Quid hoc sibi vult;

Debemus Deum timere & diligere, ne proximo suam pecuniam aut bona sua auferamus, neq; falsis mercibus aut impostura ad nos pertrahamus: sed demus operam, ut illius opes conserventur, & ejus conditio melior reddatur.

Quid ergò hic prohibetur?

Omnis rei alienæ subtractio & lucri injusti cupiditas.

Quid verò præcipitur?

Justitia & Beneficentia.

Justitia, quæ suum cuiq; tribuit & requit, & in contractibus æqualitatem servat.

Beneficentia, quæ mutatione, commodatione & facultatū atq; operarum communicatione proximum juvare, & damnum ejus quovis modo avertere ſtudet. Et cum hac Beneficentiâ pugnant Uſuræ, ideòq; peccatis contra ſeptimum Præceptum accenſeri debent.

IX. De Uſura.

Quid eſt Uſura?

Eſt injuſta exactio ultra ſortem propter officium mutuationis facta.

Quomodo differunt mutatio juſta & injuſta?

Juſtam efficit intentio proximū juvandi: Injuſtam verò intentio diteſcendi & res ſuas cum proximi damno augendi.

Nam furti etiam reus eſt, qui rem inventam non reſtituit?

ninò. Quadrat enim hûc de fi-
o furti, quæ talis eſt: Furtum
contrectatio rei alienæ, invito
mino, lucri faciendi cauſa.

Unde

Unde Augustinus ait: Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.

Dic Præceptum OCTAVUM.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

Quid hoc ſibi vult?

Debemus Deum timere & diligere, ne proximum falſis mendaciis involvamus, prodamus, traducamus, aut infamiâ aliquâ afficiamus: ſed illum excuſemus, honorificè de illo loquamur, omnia in meliorem partem interpretantes.

Hîc ergo quid prohibetur?

Mendacium, idq; tùm in ſimplice ſermone, tùm in actionibus, & communibus & forenſibus.

X. De Mendacio.

Quid eſt mendacium?

Auguſtinus definit: Mendacium eſt falſa ſignificatio vocis cũ voluntate ſeu intentione fallendi.

Numomne mendacium ſimpliciter eſt prohibitum?

Veteres

Veteres nonnulli hîc distinguunt inter mendacium pernitiosum, officiosum & jocosum; at simplicior est responsio, si distinguatur inter mendacium & occultationem, quæ adhibetur ob honestam & justam causam in rebus, quas dicere non est necessarium.

Quid verò præcipitur?

Studium asserendæ veritatis, tùm in communi conversatione, tùm in actibus judicialibus & fœderalibus.

Dic Præceptum NONUM & DECIMUM.

Nonum. Non concupiscès domum proximi tui.

Quid hoc sibi vult?

Debemus Deum timere & diligere, ne hæreditatem vel domum proximi dolo malo captemus, & sub specie recti nostris facultatibus adjungamus, sed detur opera sedulò, ut ista proximo diligenter custodiantur.

Deci-

Decimum. Nec desiderabis vxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Quid hoc sibi vult?

Debemus DEUM timere & diligere, ne à proximo uxorem, servos, ancillas, vel pecudes suas abalienemus: sed illos adhortari oportet, ut maneant & suum officium diligenter faciant:

Quid damnatur his duobus Præceptis

Concupiscentia originalis cum primis suis motibus.

At quæ hæc est tautologia, cùm in Præceptis etiam quinto, sexto & septimo pravam concupiscentiam damnari, tradant Theologi?

Non est tautologia. In his enim Præceptis damnatur concupiscētia, ad quam accedit consensus: in nono verò & decimo ea, ad quam

 quam plenus consensus non accedit, sed quæ vel delitescit, vel inprimis motibus subsistit.

Hactenus de Præceptis singulis: nunc etiam de conjunctis.

Quid summatim dicit DEVS de his Præceptis omnibus?

Sic dicit Exodi 20.

Ego sum Dominus DEUS tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me. Et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me & custodiunt Præcepta mea.

Quid hoc sibi vult?

DEUS minatur pœnam omnibus, qui ista Præcepta transgrediuntur. Debemus itaq; expavescere, & timere iram Dei, & nihil contra hujusmodi Præcepta faceres

facere. Rursùm promittit etiam suam gratiam & omnia bona omnibus, qui mandata ejus observant. Meritò igitur debemus nos DEum diligere & illi soli confidere, & juxta mandata ejus omnem nostram vitam sedulò ac diligenter instituere.

Potestne verò impleri Lex?

A nemine mortalium in statu corruptionis impleri unquam potuit. Solus Christus est impletio Legis ad justitiam omni credenti. Rom. 10.

Quæ est impossibilitatis illius causa?

Quia lex spiritualis est, nos autem carnales sumus, venundati sub peccatum. Rom. 7.

Nullum ergò usum habet Lex? De usu Legis.

Habet, & quidem triplicem. *Primò* enim arguit peccata, & ostenditiram Dei adversus illa. *Secundò* coërcet homines, ne extra honestatis sepia progressi externam disciplinam violent. *Tertiò* normam bonorum operum præscribit.

Primus

Primus usus est ἐλεγκτικὸς: secundus παιδαγωγικὸς: tertius διδασκαλικὸς.

Dic igitur, Quid sint bona opera?

XI. De bonis operibus. Bona opera sunt actiones hominum renatorum secundum legis divinæ præscriptum in vera fide ad gloriam DEi præstitæ.

Quid requiritur, ut opus aliquod sit bonum, DEOq; placens?

I. Ut sit divinitùs mandatum. Matt. 15.

II. Fiat in fide. Quod enim ex fide non est, peccatum est, Rom. 14.

III. Præstetur ab homine renato. Immundis namque nihil est mundum. Tit. 1.

IV. Fiat ad gloriã Dei. 1. Cor. 10.

Quænam verò & qualia opera hîc rejiciuntur?

Speciem quidem sanctitatis & honitatis habent, verè tamen bona & sancta non sunt. I. Opera pharisaica ad ostentationem. II. Opera Ethnicorum facta absque fide. III. Opera

III. Opera electitia, quæ ἐθελοθρησκείας appellantur.

Suntné bona opera necessaria?

Sunt: non tamen ad justitiam & salutem, sed propter alias causas.

I. Ut mandato DEI satisfaciamus.

II. Ut fidem nostram declaremus, & professionem Christianismi dignè ornemus.

III. Ut proximo nostro benefaciamus.

IV. Ut alios nostro exemplo ad imitationem adducamus.

V. Ut promissionibus studio bonorum operum factis in hoc & futuro seculo fruamur.

Et hactenus pars Catechismi prima:

Sequitur

PARS CATECHISMI SECUNDA DE SYMBOLO APOSTOLORUM.

Post explicationem doctrinæ de Lege, quid sequitur? XII. De Evangelio.

Quid significat Evangelium?

Evangelii vox aliquando *strictè* accipitur, pro doctrina de CHRISTO Mediatore ejusque beneficiis: aliquandò *latè* pro universa illa doctrina, quæ in Christi & Apostolorum Ministerio sonuit.

Evangelium in stricta significatione quomodo definis?

Sic. Evangelium est Verbum fidei, quo gratuita DEI miseratio & peccatorũ condonatio per Christum Mediatorem præstita annunciatur.

Dic brevius.

Evangelium est potentia DEI ad salutem omni credenti. Rom. 1.

Quodnam est objectum Evangelii seu materia circa quam?

CHRISTUS officio Mediatoris pro nobis fungens.

Quodnam illius correlatum?

Fides. Absque hac enim neque

Evan-

Evangelium neque Christus ad salutem nobis prodest.

XIII. De Fide.

Quid est FIDES illa?

Est promissionis Evangelicæ de propitiatione DEI per Christum acquisita fiducialis apprehensio.

seu:

Est cordis de gratia DEI, peccatorumque remissione certò persuasi firma fiducia.

Quæ sunt partes fidei illius specialis?

Notitia mentis, assensus voluntatis & firma persuasio cordis.

Quodnam objectum fidei?

Promissio Evangelii de gratia Dei propter Christū remittentis peccata & acceptantis ad vitam æternam.

Seu:

CHRISTUS propter peccata nostra mortuus, & propter justitiam nostram resuscitatus.

Quodnam verò est Subjectum fidei?

Mens & voluntas simul. Vel, ut cum Hebræis uno vocabulo utrūque

que efferatur, *Cor.* Nam corde, inquit Apostolus, creditur ad justiciam. Rom. 10.

Quis effectus fidei?

Certitudo de gratiâ Dei & salute æterna secundum juratam promissionem Christi, Joh. 5. Amen, Amē, dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit à morte ad vitam.

Quid repugnat fidei?

Dubitatio Papistica. Credere enim & dubitare opposita sunt. Rom. 4. Jac. 1.

Porrò:

Evangelium in lata significatione quomodo definitur?

Vulgò definitur concio pœnitentiæ & remissionis peccatorum.

Potest verò sic etiam definiri?

Evangelium est doctrina eorum, quæ à Christianis fieri & credi filius Dei voluit.

Quodnam est objectum Evangelii in lata hac significatione?

Itidem

Itidem CHRISTUS, sed non tantùm ut Mediator, verùm ut REX etiam subditis suis imperans, & ut *Propheta* legem interpretans. 37

Breviter:

CHRISTUS in omnibus officii sui partibus.

Dic summã Evangelii in hoc significatu?

Summa comprehensa est aphorismo illo Johannis 1. Ep. 3. Hoc est mandatum ejus, ut in nomen JHESU CHRISTI credamus, & alter-utrum diligamus.

Quot ergò partibus absolvitur?

Duabus, quarum una est faciendorum, altera credendorum. Illa cõtinetur Decalogo, prout à CHRISTO & Apostolis est explicatus: Hæc verò inprimis Symbolo Apostolico.

Quid dicis Symbolum Apostolicum?

Symbolum Apostolicum est summa religionis Christianæ ab Apostolis unà congregatis, antequam in diversas orbis terrarum partes abirent, conscripta & in certos aphorismos congesta.

Quot sunt isti aphorismi?

Duodecim, juxta ordinem & numerum Apostolorum.

In quot capita distribuuntur?

In tria, secundum ordinem & numerum, tum personarum Divinitatis, tum operum ad extra, quibus discriminantur.

XIV. De DEO.

Quid est Divinitas?

Essentia Dei indivisa in tribus distinctis personis subsistens.

Quid ergò DEVS?

DEUS est Spiritus æternus, infinitus & simplicissimus, à quo omnia dependent, unus in essentia, trinus in personis; Pater, Filius & Spiritus sanctus.

Dic testimonium de Vnitate DEI!

Deut. 6. Audi Israël, Dominus DEUS tuus DEUS unus est.

Dic etiam aliquod de Trinitate personarum!

Illustrissimum est, quod extat in Baptismi nostri institutione, Baptizate

ptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.

An non habes etiam aliquod de Vnitate & Trinitate simul?

Habeo. 1. Joh. 5. TRES sunt, qui testantur in cœlo, Pater, Logos & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.

Quid intelligis vocabulo Personæ?

Persona est subsistens individuũ, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio.

Quomodo ab invicem discriminantur?

Discrimen personarum Divinitatis duplex est, Externum & Internum.

Externum, sumitur ab operibus externis, cujusmodi sunt Creatio, Incarnatio & Sanctificatio.

Internum ab operibus internis, ceu sunt, Gignere, nasci & procedere.

Quæ hic observandæ sunt Regulæ?

Duæ illæ antiquitatis. I. Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.

II. Opera Trinitatis ad intra sunt divisa.

Quale verò est discrimen illud personarum?

Non essentiale, nec rationale, sed Reale.

His præmissis recita nunc singulos aphorismos Symboli Apostolici!

Recitabo.

Dic ergò PRIMUM aphorismum.

Credo in DEUM Patrem omnipotentem creatorem Cœli & Terræ.

Quid hoc sibi vult?

Credo, quòd Deus creavit me unà cum omnibus creaturis: Quòd corpus & animam, oculos & aures, & omnia membra, rationem & omnes sensus mihi dedit, & adhuc sustentat: Adhæc, quòd vestes & calceos, cibum ac potum, domum, vxorem, liberos, agros, jumenta & omnia bona, cum omnibus vitæ necessariis copiosè & quotidiè largitur: Me contra omnia pericula protegit, & ab omnibus malis liberat & custodit: Et hæc omnia ex meræ suâ paternâ & divinâ bonitate atque

miseri-

misericordiâ, sine ullis meis meritis aut ulla dignitate: pro quibus omnibus illi gratias agere, pleno ore laudem tribuere, inservire & obsequi meritò debeo. Hoc certissimè verum est.

Dic Subjectum & Prædicata hujus articuli?

Subjectum est DEUS Pater: Prædicata sunt Creatio, Gubernatio & Conservatio.

Quid est DEVS Pater?

Est primâ persona Divinitatis, à seipso existens, & ex substantia suâ ab æterno Filium sibi coæternum & consubstantialem gignens.

Quid est Creatio? XV. De creatione.

Est actio omnipotentiæ, quâ Deus res omnes extra suam divinitatis essentiam de nihilo produxit, easque virtutibus & qualitatibus suis distinctè informavit ad gloriæ suæ ostensionem.

Quomodo differunt Creatio & Generatio?

Dupliciter.

Nam I. Generatio præsupponit materiam ex qua: Creatio verò non. II. Id quod per generationē

producitur, est simile producenti secundum substantiam: quod verò per creationem producitur, est à substantia creantis diversum.

Num solus Pater creavit?

Non, sed creatio est opus indivisum individuæ Trinitatis. Tribuitur autem in Symbolo PATRI, quia ordine prima est persona Divinitatis.

Factáne est creatio in momento?

Non, verùm teste historia Mosaica, successivè, juxta ordinem sex dierum.

Recita quæso ex Mose opera sex dierum!

Primâ die DEUS rudem & indigestam molem, rerum inde formandarum materiam, unà cum luce creavit.

Secundâ totam regionem ætheream exædificavit, & Firmamentum in medio aquarum expandit.

Tertiâ aquas à terra segregavit, eamq; usibus hominum aptavit, & floribus atq; fructibus decoravit.

Quartâ cœlum luminaribus & stellis exornavit.

Quintâ

Quintâ reptilia & volatilia fecit.

Sextâ animalia terrestria, & hominem denique ipsum horum dominum condidit.

XVI. De Angelis.

Cur Moses omittit creationem Angelorum?

Quia narrationem suam ad vulgi captum accommodans, hujus tantùm seculi creaturas visibiles percensere voluit.

Qua die creati sunt Angeli?

Certi quidem nihil hac de re definiri potest, probabile tamen est, prima die conditos esse & statim cum luce extitisse.

Quid sunt Angeli?

Sunt Spiritus in naturæ bonitate, arbitriique libertate ad DEI hominumque ministerium creati.

Quotuplices sunt?

Duplices, Boni & Mali.

Boni sunt, qui in prima bonitatis & beatitudinis suæ origine perstiterunt, inque ea per gratiam confirmati,

firmati, DEo in cœlis semper adstant, & voluntatem ejus administrant.

Mali sunt, qui concessa arbitrii libertate abusi, naturæ suæ bonitate atque beatitudine exciderunt, & in malitia obfirmati damnationem sibi attraxerunt.

Redeamus ad hominem: Quid in hujus creatione inprimis consideratione meretur?

Tria inprimis:

I. Animæ humanæ immortalitas.

II. Imaginis Dei dignitas.

III. Arbitrii libertas.

XVII. De animæ immortalitate. *Unde probatur, quod anima hominis sit immortalis?*

Inde, quòd, teste Scriptura, exiens à corpore vel ad Deum creatorem redit, vel æternæ damnationis locum & judicium subit.

XVIII. De Imagine Dei. *Quid intelligitur per Imaginem DEI, ad quam homo est conditus?*

Imago Dei in homine à Theologis vel latè accipitur, vel strictè.

Latè

Latè accepta tria complectitur, 45
1. Spiritualem animæ essentiam, 2. Donorum collatorum excellentiam, & 3. dominii eminentiam.

Strictè verò accepta est hominis in mente, corde cæterisq; viribus & potentiis cum Deo archetypo suo conformitas.

Estné integra adhûc illa Dei Imago in homine post lapsum?

Nequaquam. Etsi enim per lapsum non ipsa animæ essentia sit abolita, neque dominii dignitas omnis prorsus ablata, interna tamen qualitatum perfectio, & primæva virium atq; potentiarum integritas est amissa, & justicia originalis obliterata.

Quid in locum amissæ Imaginis successit?

Peccatum originale, quod hinc definitur usitatè, carentia justiciæ originalis debitæ inesse.

Quomodo verò in homine restauratur?

Per regenerationē & renovationē factam

factam operatione Spiritus sancti, ad imaginem illam DEI nos reformantis. 2. Cor. 3.

XIX. De Libero arbitrio.

Dic porrò, Quid sit liberum arbitrium?

Liberum arbitrium in homine est facultas, qua voluntas liberè vel expetit, vel rejicit id, quod ratio judicat.

Num adhuc homo liberum habet arbitrium in Bonis?

Habet, sed in actionibus externis, civilibus & moralibus; non autem internis & spiritualibus.

Annon ergò cooperatur hominis voluntas in conversione?

Nequaquam. Est enim homo in peccatis MORTUUS, ut Apostolus loquitur. Quapropter sicut homo naturaliter mortuus in sui resuscitatione ad vitam temporalem nihil cooperatur: ita nec homo spiritualiter mortuus in spirituali vivificatione quicquam cooperari potest.

Hactenus

Minimè, sed providentiâ DEI reguntur & moventur.

Quid est Providentia Dei? XX. De Providentiâ.

Est actio Dei, quâ omnia à se condita sustentat, gubernat & ad certos fines destinat atque dirigit.

Quotuplex est illa Dei Providentia?

Universalis & Specialis.

Universalis est, quâ Deus naturam universam in statu & ordine suo conservat, & creaturas singulas secundum motum in creatione sibi inditum moderatur.

Specialis est, quâ Deus in certa aliqua creatura peculiarem operationem exerit.

Dic utriusq; Providentiæ testimonium?

Universalis Providentiæ testimonium est hoc, Act. 17. In ipso vivimus, movemur & sumus.

Specialis Providentiæ testimonium est Prov. 21. Cor Regis est in manu

manu DEI, quocunque voluerit, inflectit illud.

Nihil ergò fortuitum est in rebus humanis?

Nihil. sc. respectu providentiæ Dei: est verò respectu judicii hominum.

Num etiam in peccatis concurrit providentia Dei?

Non quidem efficiendo, sed permittendo & ad bonos fines sapienter ordinando.

Dic SECUNDUM Articulum!

Et in JESUM CHRISTUM, filium ejus unicũ, Dominum nostrum.

XXI. De CHRISTO.

Quis ergò est CHRISTUS?

CHRISTUS est filius DEI ex Patris substantia ante omnia secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus.

Unde probatur, quod sit verus DEUS?

Quatuor

Quatuor sunt præcipua argumenta, quib. Divinitas Christi adstruitur. I. ducitur ab appellationibus, cujusmodi sunt Jehova, DEUS verus, DEUS magnus, DEUS super omnia benedictus in secula, Dominus gloriæ, Filius Dei unigenitus, Filius Dei proprius. II. ab attributis, ceu sunt infinitas, immensitas, æternitas. III. ab operibus soli Deo propriis, qualia sunt creatio, rerum omnium conservatio & gubernatio, Ecclesiæ collectio & protectio, vivificatio, Spiritus sancti missio, & miraculorum perpetratio. IV. Denique ab honore & cultu divino, qui est fiducia in CHRISTO, Baptismus in nomen Christi, & adoratio atque glorificatio cum Patre & Spiritu sancto. 49

Quid autem in doctrina de CHRISTO inprimis considerationem meretur?

Naturarum unio & officii administratio.

Quot ergò sunt naturæ in CHRISTO?

10 Duæ; Divina & humana. Illa ab æterno existens & increata: hæc creata & in temporis plenitudine ex utero Mariæ virginis assumpta.

Cur autem oportuit esse duas?

Quia alioqui Mediator inter Deum et homines esse haud potuisset.

Anne seorsim existunt singulæ naturæ in CHRISTO?

Non, sed personaliter unitæ.

Quid verò est Vnio personalis?

Est arctissima & indissolubilis duarum in Christo naturarum consociatio, & in unitatem personæ conjunctio.

Vnionem personalem quid consequitur?

Communicatio Idiomatum.

Quot sunt gradus communicationis Idiomatum? Tres.

Primus continet illas scripturæ locutiones, in quibus ea, quæ sunt proprietates unius naturæ tribuuntur personæ in concreto, ceu Filius Dei est natus ex virgine. Filius Dei est crucifixus. &c.

Secundus

Secundus continet eas Scripturæ phrases, in quibus apotelesmata officii Christi toti personæ tribuuntur, ut CHristus est Rex noster, Mediator noster.

Tertius illas habet propositiones, in quib⁹ propria naturæ divinæ tribuuntur propter unionem naturæ humanæ, ut caro Christi est vivifica, Humana Christi natura est omniscia &c.

Num omnia Divinitatis idiomata naturæ humanæ indiscriminatim tribuuntur?

Tota quidem Divinitatis plenitudo in assumpta carne inhabitat: illa tamen idiomata hîc inprimis considerantur, quæ peculiarem ad creaturas respectum habent, cujusmodi sunt & à Scriptura nominatim recensentur hæc sex: Omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia, virtus vivificandi, potestas judicandi & cultus adorationis.

52 *Semperne Christus in natura sua humana idiomata illa actu ipso exeruit?*

Non, sed in statu exinanitionis plenariam illorum usurpationem liberè abdicavit.

Porrò,

Quid est Officium Christi?

Officium Christi. Officium Christi est omne illud, cujus ergò Filius DEI secundum arcanum S. Sanctæ Trinitatis consilium naturæ humanæ substantiam assumsit, & posteà ad dextram Patris consedit.

Quotuplex est Officium illud?

Triplex, Propheticum, sacerdotale & regium. *Propheticum* est, quod in mysteriorum & consiliorum Dei ad salutem hominis pertinentium revelatione. *Sacerdotale*, quod in lapsi generis humani reparatione, & apud Patrem peccatis irascentem reconciliatione: *Regium*, quod in Ecclesiæ collectione atque defensione, & potente omnium creaturarum gubernatione consistit.

Secundum

istis officii sui partibus atq; actionibus fungitur?

Secundum utranque simul: humanâ id, quod suum est, operante cum communicatione divinæ, & vicissim divinâ id, quod suum est, agente cum communicatione humanæ.

Dic TERTIUM *Articulum.*

Qui conceptus est de Spiritu sancto, & natus ex virgine Maria.

Quomodo intelligenda sunt verba illa, de Spiritu sancto?

Non de Substantia, sed operatione atque efficacia Spiritus sancti.

Quare verò Christus non de semine virili concipi, nec secundum consuetum naturæ ordinem in hunc Mundum nasci voluit aut debuit?

1. Propter vaticinia V.T. in quib. intacta & illibata virgo mater Christi futura, ejusque conceptio & nativitas resplanè nova, miranda & stupenda fore dicitur, Esa. 7. Jer. 31.

2. Propter typum primi Adami, qui itidem modo prorsus singulari productus fuit.

3. Propter immunitatem ab omni labe peccati. Quicquid enim ex carne natum est, caro est. Joh. 3. *Hoc est, quicquid juxta communem naturæ ordinem nascitur, immundum est & peccato inquinatum.*

Dic QVARTUM Articulum!

Passus sub Pontio Pilato, crucifix^o, mortuus & sepult^o.

Quid verbis illis continetur?

Profundissima Exinanitio Christi, quâ nostræ salutis gratia se demisit, variisque cruciatibus exposuit,

fuit, obediens factus Patri ad mortem usque crucis.

Obedientia Christi

Quotuplex est Christi obedientia?

Duplex, Activa & Passiva.

Activa est perfecta legis divinæ impletio.

Passiva est cruciatuum tum externorum, tum internorum voluntaria perpessio.

Secundum quam naturam CHRISTVS passus est?

Secundum naturam humanam, & quidem non in corpore tantùm, verùm etiam in anima.

Quis est usus passionis Dominicæ?

Divinæ cùm justitiæ, tùm misericordiæ meditatio.

Quis effectus?

Generis humani redemptio & cũ DEO reconciliatio.

Num toti generi humano præstita est illa redemptio?

Omninò. Est enim Christus propitiatio pro peccatis TOTIUS mundi, 1. Joh. 2. Et dedit ille semetipsum in redemptionem pro OMNIBUS hominibus. 1. *Tim. 2.*

Quapropter singuli ex Catechismo Lutheri dicere possunt.

CREDO, quòd JESUS CHRISTUS verus DEUS à Patre ante secula genitus, idemque verus homo natus ex Maria virgine, sit meus Dominus, qui ME perditum & damnatum hominem redemit, & ab omnibus peccatis, à morte, à potestate Satanæ liberavit, non quidem auro & argento, sed suo sancto ac pretioso sanguine, suâque immeritâ passione & morte: Ut ego essem propriè suus, & in suo regno sub ipso viverem, ac liberaliter inservirem, in perpetuâ justitiâ & innocentiâ, perinde ac ipse à morte surrexit, vivit & regnat in æternum. Hoc certissimè verum est.

Estnè ergò redemptio Universalis?

Est, quoad acquisitionem; non autem quoad applicationem.

Dic QVINTUM Articulum.

Descen-

Quid intelligis per descensionem ad inferos? Descēsio ad inferos

Descensio ad inferos est Christi redivivi ad locum damnatorum demigratio, facta, non ut novos cruciatus pateretur, sed ut triumphum ibi ageret, & victoriam suam ipsis quoque inferis manifestaret.

Num CHRISTVS secundum animam tantum descendit?

Respondet Augustinus: Totus filius fuit apud Patrem, totus in utero virginis, totus in cœlo, totus in terra, totus in cruce, & totus in inferno.

Profer testimonium aliquod hujus Articuli ex Scriptura!

Eph. 4. Qui adscendit super omnes cœlos, prius descendit in inferiores partes terræ.

Quid intelligitur per Resurrectionem? Resurrectio.

Victoriosa CHRISTI ex mortuis resuscitati in terris manifestatio.

Propriâ, sicut innuit Joh. 10. Potestatem habeo ponendi animâ meam, & potestatem habeo iterum assumendi eam.

Quis fructus resurrectionis Christi?

Nostra tum resurrectio, tum coram DEO justificatio. Mortuus est Christus, inquit Apostolus, propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Rom. 4.

Dic SEXTUM Articulum!

Adscendit ad cœlos & sedet ad dexteram DEI.

Quid est ascensio Christi ad cœlos?

Non est nuda disparitio, sed visibilis & gloriosa CHRISTI ex hoc Mundo ad Patrem abeuntis in regnum cœlorum translatio.

Si Christus cœlos adscendit, quomodo corpore suo in terris præsens esse poterit?

Adscen-

Adscenſio ad cœlos præſentiam ejus in terris nequaquam impedit. Christus enim adscendit SUPER OMNES cœlos, ut OMNIA IMPLERET. Eph. 4. Et in adscenſione ſua conſedit ad dexteram DEI, quæ ubique eſt, & omnia loca, tum ſupera tum infera complectitur. Adſcēſio ad cœlos.

Quid ergò eſt ſeßio ad dexteram DEI? Seſſio ad dexteram.

Non eſt poſitio localis, ſed Chriſti ad thronum potentiæ DEI omnia præſenter gubernantis exaltatio.

Secundum quam verò naturam facta eſt illa exaltatio?

Secundum humanam, quæ ſola evectionis in altiorem gradum eſt capax.

Dic SEPTIMUM Articulum.

Unde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Proba,

Proba, quòd certò futurum sit judicium!

Probatur hoc duplici argumento.

Prius desumitur à testimoniis Scripturæ, quæ omnibus hominibus duo statuta esse dicit, mortem sc. & post mortem judicium, Hebr. 9.

Posteriùs à justicia DEI immutabili, secundum quam bonis necessariò benè, malis necessariò malè erit.

Quis futurus est judex?

Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio. Joh. 5.

Secundum quam naturam CHRISTVS judicaturus est?

Non secundum divinam tantùm, sed etiam secundum humanam, in quâ priùs ipse judicatus in hoc Mundo fuit.

Quinam sunt judicandi?

Omnes homines, sicut ait Apostolus. Omnes sistentur ad tribunal Christi, ut fiat unicuique secundum opera sua. 2. Cor. 5.

Quando

Quando autem futurum est illud judicium?

De die illa, inquit Christus, nemo scit: neque Angeli. Matth. 24. Marci. 13.

Cur DEVS tempus illud occultum esse voluit?

Ut curiositatem nostram compesceret & excussa securitate ad excubias perpetuas nos excitaret.

Dic OCTAVUM Articulum!

Credo in Spiritum sanctum.

Quæ est hujus & seqq. articulorum sententia? Hæc est:

CREDO me propriis rationis meæ viribus JESU CHRISTO Domino meo fidere, aut ad eum accedere nullo modo posse, sed Spiritus sanctus per Evangelium me vocavit, suis donis illuminavit, recta fide sanctificavit & conservavit: Quemadmodum solet totam Ecclesiam in terra vocare, illuminare, sanctificare & in JESU Christo per rectam unicam fidem conservare. In qua Ecclesia

congregare,

 Ecclesia mihi & omnibus Christianis omnia peccata quotidiè benignè remittit, & nos omnes in extremo die à morte resuscitabit, mihi & omnibus in Christū credentibus vitam æternam daturus. Hoc certissimè verum est.

Quid est Spiritus sanctus?

XXIII. De Spiritu sancto. Spiritus sanctus est tertia Divinitatis Persona, à Patre & Filio ineffabiliter procedens, Ecclesiam per Ministerium colligens & corda hominum sanctificans.

Unde probas divinitatem Spiritus sancti?

I. Ex sacra Scriptura, quæ Spiritū sanctum nominibus, attributis & operibus soli Deo unicè propriis à creaturis distinguit.

II. Ex Symbolo Apostolico, quod fidem quoque in Spiritum sanctum exigit.

III. Ex præscripta Baptismi formula, quæ Patri & Filio Spiritum S. connumerat, & in eodem religiosæ adorationis atque confessionis cultu conjungit.

Qua

Aeterna processio; cujus verò modus & à generatione differentia est ineffabilis.

Dic NONUM Articulum!

Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, communionem Sanctorum.

Vnde est vocabulum Ecclesiæ? XXIV. De Ecclesia.

A Græco ἐκκαλεῖν, quod est evocare; eò quòd Ecclesia est cœtus hominum ex promiscua mortalium turba ad regnum cœleste per ministerium verbi evocatorum.

Cur dicitur Sancta?

1. Propter imputatam Sanctitatem Christi.
2. Propter inhabitationem Spiritus sancti.
3. Propter studium sanctitatis.

Cur

Tribus potissimùm de causis.

1. Quia doctrinam catholicam hoc est, catholico omnium Prophetarum & Apostolorum consensu roboratam amplectitur & profitetur.

2. Quia non est uni vel loco, vel populo alligata, sed est omnium locorum & populorum.

3. Quia est omnium temporum. Ecclesia enim semper fuit, est & erit.

Quomodo distinguitur Ecclesia?

Tripliciter.

I. In Ecclesiam militantem & triumphantem.

II. In Ecclesiam Visibilem & Invisibilem.

III. In Ecclesiam Universalem & Particularem.

Quid est Ecclesia Militans, & quid Triumphans?

Ecclesia Militans est cœtus Christianorum sub Rege suo Christo contra Satanam, Carnē & Mundū adhuc

adhuc in hoc seculo militantium. Ecclesia Triumphans est cœtus fidelium, qui, superatis per Christũ hostibus, unà cum beatis Spiritibus nunc in cœlo triumphant & æternùm exultant.

Annon verò est Ecclesia intermedia, in Purgatorio sc. constituta?

Nequaquam, cùm non sit talis aliquis locus intermedius. Omnes enim animæ Sanctorum de corpore exeuntes statim ad Christum vadunt. *Aug.* Et qui non est post mortem cum Satana in inferno, illum oportet cum Christo esse in cœlo. *Idem.*

Perge, & dic quid sit Ecclesia visibilis & quid invisibilis?

Ecclesia visibilis est cœtus vocatorum externa ministerii usurpatione fideique professione oculis hominum conspicuus.

Τυπώσματα seu notæ hujus Ecclesiæ sunt, Verbum DEI publicè sonans & Sacramenta à Christo instituta.

Ecclesia invisibilis est grex ille pusillus, quem singulis temporibus de visibili hominum cœtu Christus sibi segregat, & interno fidei, sanctitatis atque charitatis glutine conjungit.

Proba Exemplo, quòd sit Ecclesia aliqua invisibilis?

Exemplum illustre extat 1. Reg. 19. ubi Baaliticæ Idololatriæ temporibus externum Ecclesiæ Ministerium adeò corruptum legitur, ut Propheta Elias ne unum quidem veræ & sinceræ Religioni Israëliticæ addictum superesse crederet, cùm tamen, ipso Deo teste, septies mille adhuc in populo isto reliqui essent, hominibus quidem incogniti, soli verò Deo manifesti.

Cæterùm, Quid est Ecclesia Universalis, & quid Particularis?

Ecclesia Universalis est omnium atque singulorum Christi membrorum in unum corpus aggregatorum collectio.

Ecclesia Particularis est cœtus, qui

qui certa aliqua in diœcesi vel gente Christo per verbum & Sacramenta colligitur. 67

Potestné aboleri Ecclesia?

Particularis potest, Universalis verò non; quia ædificata est super petram, atque ita fundata, ut ipsæ etiam inferorum portæ adversus eam prævalere nequeant. Matt. 16.

Nunquid autem errare potest?

Particularis equidem erroribus non tantùm involvi, sed prorsus etiam obrui potest, quando voce Archipastoris sui unici spreta alienam sequitur: Universalis autem in fundamento errare finaliter nequit.

Quid intelligitur per Communionem Sanctorum?

Communionem Sanctorum Apostolus ad Ephesios cap. 4. his describit verbis: Unum corpus, unus Spiritus, una spes vocationis; unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omni-

 um, qui est super omnia, & per omnia & in omnibus nobis.

Dic Articulum DECIMUM.

Credo remissionem peccatorum.

XXV. De Justificatione.

Quid est remissio peccatorum?

Remissio peccatorum est gratuita eorundem condonatio facta propter justitiam Christi fide imputatam.

Quo alio vocabulo usitate appellatur?

Vocabulo JUSTIFICATIONIS.

Quomodo definitur Justificatio?

Justificatio est actio DEI homini pœnitenti & in CHRISTUM credenti ex gratuita miseratione in justitiam propriam condonantis, & alienam, quæ est CHRISTI, imputantis.

Unde desumpta est hæc definitio?

Ex Epistolæ ad Romanos cap. 3. 4. & 5. ubi dogma justificationis ex professo traditur.

Qua

Quæ ergò in re consistit justificatio?
In peccatorum remissione & justitiæ Christi imputatione.

Quæ sunt causæ justificationis?
Tres præcipuè.

I. Causa principalis est Gratia Dei Patris.

II. Causa meritoria est obedientia CHRISTI.

III. Causa instrumentalis est Fides gratiam DEI Patris sibi applicans, & obedientiam CHRISTI apprehendens.

Profer testimonium aliquod Scripturæ!
Rom. 3. Justificamur gratis, per gratiam ipsius, per redemptionē, quæ est in Christo JESU, quem proposuit DEUS propitiatorium per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ per remissionem præcedentium delictorum.

Suntne eadem Salvationis causæ, quæ & justificationis?

 Sunt. Gratia enim salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, DEI donum est, non ex operibus, ne quis glorietur, inquit Apostolus ad Eph. c. 2.

Dic UNDECIMUM Articulum!

Credo resurrectionem carnis.

XXVI. De Resurrectione.

Quid est resurrectio carnis?

Est corporis humani violentiâ mortis extincti vivificatio, & iterata cum anima superstite conjunctio.

Cur dicitur Resurrectio carnis?

Quia anima hominis est immortalis, & statim post exitum à corpore in locum vel beatitudinis vel damnationis æternæ transfertur. Luc. 16.

Certóne autem futura est resurrectio?

Certissimè. Si enim resurrectio non est, Christus quoque non resurrexit:

surrexit; inanis prædicatio Evan- 71
gelii: inanis fides nostra, & Chri-
stianorum turba viventium omni-
um est miserrima, inquit Apostolus 1. Cor. 15.

Quinam sunt resurrecturi?

Johan. 5. OMNES, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii DEI, & resurgent; qui benè fecerunt, ad vitam; qui malè ad judicium.

Eadèmne habebunt corpora resurgentes, quæ habebant in hoc Mundo viventes?

Eadem & diversa. Eadem, quoad substantiam: Diversa, quoad conditionem & qualitatem. Oportet enim, ait Apostolus, Corruptibile HOC induere incorruptibilitatem, & mortale HOC induere immortalitatem. Seminatur corpus animale, & surget corpus Spirituale. 1. Cor. 15.

Dic Articulum DUODECIMUM & ULTIMUM!

XXVII De vita æterna.

Quid est vita æterna?

Est beatitudo & gloria perfecta, quâ fideles non secundum animã tantùm, sed etiam secundum corpus suum corpori claritatis Christi conformatum, post hoc seculum absque ulla interturbatione fruentur, semper cum Deo futuri.

Quâ verò in re beatitudo illa consistit?

Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscendit, quod præparavit Deus diligentibus ipsum, 1. Cor. 2.

Vnde probatur, quòd sit vita æterna?

1. A Dei ipsius æternitate. 2. Animæ immortalitate. 3. Corporum resurrectione. 4. Vitæ præsentis vanitate. 5. Exemplorum & typorum præfiguratione. 6. Scripturæ denique testificatione.

2. Cor. 5.

Scimus, quòd terrestri habitationis

nis nostræ domo destructa, ædificationem ex DEo habituri sumus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. 73

Johan. 10.

Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & cognosco eas, & dabo eis vitam æternam.

Estne vita æterna meritum bonorum operum?

Nequaquam, sed est DONUM DEI, teste Apostolo Rom. 6.

Hactenus pars Catechismi secunda: nunc sequitur

PARS CATECHISMI TERTIA

DE

ORATIONE DOMINICA.

XXVIII De Precatione.

Quid est Oratio Dominica?

Est illa precandi formula, quam Christus Matth. 6. discipulis suis in usum quotidianum præscripsit.

Antequam de illa speciali formula agas, præmitte quæso doctrinam generalem de Precatione, & dic quid sit Precatio?

Damascenus ait: Oratio est adscensio mentis ad DEUM, & petitio rerum consentanearum ab ipso.

Quid requiritur ad Orationem?

I. Ut dirigatur ad unum & solum DEUM.

II. Ut proficiscatur ex vera cordis humilitate.

III. Ut

III. Ut fiat in fide, &
IV. Nitatur promissione divina.

Quare solus DEUS est invocandus?

I. Quia in solum DEUM credimus.
II. Una & sola solius DEI invocatio habet mandatū, promissionem & exempla in Scripturis.
III. Solus DEUS est καρδιογνώστης, omnibus orantibus ad audiendum præsens & ad opitulandum potens.

Annon ergò Christus secundum naturam etiam humanam est invocandus?

Maximè: tum quia secundum naturam etiam humanam est Mediator, tum quia Illa in DEO suam habet existentiam, cumque DEO unam constituit personam, omnium proprietatum & glorificationum divinarum particeps facta.

Quid ad orandum excitare & impellere nos debet?

I. Mandati divini autoritas.

II. Pro-

II. Promissionum divinarum veritas & suavitas.
III. Propria nostra necessitas.
IV. Orationis denique ipsius dignitas & efficacitas.

Psalm. 50.

Invoca me in die tribulationis, & ego eripiam te.

Quid verò peti à DEO debet?

Quicquid vel ad vitæ præsentis usum, vel ad animarum salutem nobis est necessarium.

Seu:

Bona cùm temporalia & corporalia, tùm spiritualia; hoc tamen observato discrimine, ut spiritualia absq; conditione voluntatis & beneplaciti divini rogentur.

Sufficit generalis hæc instructio: nunc ad Orationis Dominicæ Explicationem revertere.

Et

Tribus.

Præfatione, Propositione & Conclusione.

Quibus verbis continetur PRÆFATIO?

His:

Pater noster, qui es in cœlis.

Quid verba illa nobis commendant?

1. Gloriosam DEI Majestatem.
2. Ejusdem propitiam & paternam erga nos voluntatem.
3. Mutuam piorum fraternitatem; &
4. Regni cœlestis hæreditatem.

Quem ergò usum habent?

DEUS amanter nos hac præfatiuncula invitat, ut verè credamus, eum nostrum verum Patrem, nosque ejus veros filios esse, ut eum confidentiùs pleni fiducia oremus, quemadmodum videmus liberos certâ fiduciâ aliquid à parentib. suis rogare.

Num

Num vocabulum Patris in hac Præfatiuncula primam tantùm personam in Trinitate significat?

Vocabulum PATRIS in Oratione Dominica non est personale, sed essentiale: ideoque Deum in omnibus & singulis indigitat personis.

Quotupliciter DEVS est Pater noster?

Dupliciter. Generaliter ratione creationis & sustentationis: Et specialiter ratione adoptionis atque regenerationis.

PROPOSITIO Orationis Dominicæ quæ in re consistit?

In Bonorum petitione & Malorum deprecatione.

Quænam sunt Bona illa, quæ à DEO petere jubemur?

Nominis divini Sanctificatio: Regni cœlestis participatio: Spiritus sancti ad præstandam voluntatem DEI impetratio, & Rerum necessariarum suppeditatio.

Qua

Quæ verò sunt Mala illa, quæ deprecari jubemur?

Ea quidem omnia, quæ gloriæ DEI & saluti nostræ adversantur, inprimis autem *Peccati accusatio*, *Diaboli tentatio & Hostium persecutio.*

Quot ergò petitionibus absolvitur oratio Dominica?

Septem, quarum prioribus quatuor BONA nobis necessaria precamur: Posterioribus tribus Mala nobis nocentia deprecamur.

Prima PETITIO.

Sanctificetur nomen tuum.

Quid hoc sibi vult?

Nomen DEI per se quidem sanctum est: verùm nos oramus hac petitione, ut apud nos quoque sanctificetur.

Quaratione fit istud?

Cùm verbum DEI purè & sincerè docetur, & nos secundum illud, ut filios Dei decet, piè vivimus. In quo adjuva nos mi Pater, qui es in cœlis. Qui verò aliter docet vel vivit, quàm verbum DEI docet, ille nomen DEI inter nos prophanat. Ne autem hoc accidat, tu provide mi Pater cœlestis.

Quid

Quid hic intelligitur per Nomen Dei?

DEUS ipse, eiusque Verbum & Cultus.

Quinam ergò sunt modi seu gradus sanctificationis Nominis divini?

Hi sunt. I. DEI agnitio, invocatio, atque celebratio. II. Verbi divini sincera prædicatio: attenta auscultatio: prompta observatio & ad posteritatem propagatio.

SECUNDA Petitio.

Adveniat regnum tuum.

Quid hoc sibi vult?

Regnum DEI venit etiam per se sine nostra oratione, sed petimus hac precatione, ut ad Nos quoque perveniat.

Qua ratione fit istud?

Cùm Pater cœlestis dat nobis suum sanctum Spiritum, ut verbo divino per gratiam ipsius credamus, ac piè hîc temporalem, illîc æternam vitam agamus.

XXIX. De Regno DEI. *Quotuplex est Regnum DEI?*

Triplex:

I. *Regnum potentiæ*, quo omnibus creaturis potenter dominatur.

II. *Regnum*

II. *Regnum Gratiæ*, quo Ecclesiam sibi per verbum & Sacramenta colligit, eamq; Spiritu suo sancto regit, & contra omnem vim inimicam defendit.

III. *Regnum gloriæ*, quo cum sanctis & fidelibus, de subjugatis & debellatis hostibus æternùm in cœlis triumphabit, omniaq; in omnibus erit.

Dic testimonium aliquod de Regno DEI?

Rom. 14. Non est regnum DEI esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.

Tertia PETITIO.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo, ita & in terra.

Quid hoc sibi vult?

Bona ac misericors DEI voluntas fit quoque sine nostra oratione: sed rogamus hac petitione, ut etiam fiat apud nos in cordibus nostris.

Qua ratione fit istud?

Cùm DEUS frangit atque impedit omne

omne malum consilium & voluntatem, quæ nobis nomen D E I non sanctificent, regnumque ejus ad nos pervenire non sinant, ut est Diaboli, mundi & carnis nostræ voluntas: Deinde cùm confortat & conservat nos firmiter in suo verbo & fide usque ad finem vitæ nostræ; Hæc est misericors & bona ipsius voluntas.

XXX. De voluntate DEI.

Quotuplex est voluntas D E I?

Una quidem in se & ratione essentiæ divinæ: distinguitur tamen secundum diversum revelationis & considerationis modum.

Quomodo verò distinguitur?

I. In voluntatem Legalem & Evangelicam.

II. In voluntatem Misericordiæ & Justitiæ.

III. In voluntatem Antecedentem & Consequentem.

IV. In voluntatem Universalem & Particularem.

Dic ergò quid sit voluntas Legalis & quid Evangelica?

Volun-

Voluntas Legalis est sanctio de dilectione DEI & proximi, obedientibus vitam aliaq; præmia promittens, transgredientibus verò pœnas cùm temporales tùm æternas statuens.

Voluntas Evangelica est ordinatio DEI de fide in Christum, vitaque æterna credentibus donanda.

Johan. 6.

Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Quid est voluntas Misericordiæ, & quid Justitiæ?

Voluntas Misericordiæ est, quâ DEUS vult, ut, qui sub peccatorum onere fatiscunt, ad Christum refectionis fontem accedant, & gratiam consequantur. Matth. 11.

Voluntas Justitiæ est, quâ DEUS vult, ut securi & contemptores, qui Præcepta, minas & promissiones DEI aspernantur, in peccatis, incredulitate atque impœnitentiâ sua æternùm pereant & damnentur.

Quid est voluntas Antecedens, & quid consequens?

Voluntas Antecedens est illa, quæ universalem DEI propensionem explicat, & CHRISTUM cum omnibus suis beneficiis fide apprehendendum universis atque singulis offert. 1. Tim. 2. 2. Pet. 3.

Voluntas Consequens est illa, quæ ordinem Salutis præscriptum sequentes & gratiam in Evangelio oblatâ acceptantes æternæ salutí destinat: incredulos verò & obstinatos æternæ damnationi adjudicat.

Quo pertinet prædestinatio?

XXXI. De Prædestinatione. Ad voluntatem Consequentem, sicut & Reprobatio.

Quid

Est consilium DEI æternum & immotum, quo in Christum perseveranter crediturus vita & salus decernitur.

Quid Reprobatio?

Est judicium voluntatis DEI, quo illi, quorum finalem incredulitatem à seculis prævidit, per sententiam immotam ad æternam damnationem abjiciuntur & reprobantur.

Estné vel Prædestinatio, vel Reprobatio absoluta?

Neutra: Sed utraque facta est secundum præcognitionem.

Porrò:

Quid est voluntas Vniversalis & quid Particularis?

Voluntas universalis est, quâ ad Ecclesiæ societatem & vitæ novitatem omnes seriò vocantur.

Voluntas particularis est, quâ singuli ad diligentiam in sua vocatione, patientiam in afflictione,

 & obedientiam in rei peculiariter demandatæ executione divinitùs adstringuntur.

QVARTA Petitio.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.

Quid hoc sibi vult?

Deus dat quidem omnibus panem quotidianum, quamvis non petamus, etiam malis hominibus: sed precamur hac petitione, ut cognoscamus hoc, atque ita panem nostrum quotidianum cum gratiarum actione accipiamus.

Quid autem significat panis quotidianus?

Significat omne, quod ad vitæ nostræ necessitatem ac sustentationem pertinet, veluti cibum, potum, vestes, calceos, domum, aream, agros, pecudes, divitias, probam conjugem, probos liberos, probos servos, probum ac fidum magistratum, bonum Reipublicæ statum, commodam aëris temperiem, pacem, sanitatem, modestiam, honorem, bonos amicos, fidos vicinos & id genus alia.

Quis

Admonet nos:

I. De DEI erga nos liberalitate. Da-
Huic enim acceptum est ferendum, quicquid usquam habemus. Psal. 144.
Oculi omnium in te sperant Domine, &c.

II. De mutua Christianorum charitate & in juvando proximo fidelitate. Nobis.

III. De victus instituendi frugalitate. Panem

IV. De nostra egestate & quotidiana necessitate. Quotidianũ.

V. De vitanda curarum anxietate. Hodiè.

Annon verò pugnat cum hac petitione interdictum illud Christi, quo prohibet, ne simus soliciti de victu. Matth. 6?

Nequaquam. Christus enim in interdicto illo de istiusmodi solicitudine loquitur, quæ est cordis in varias curas distracti & victui propriâ industriâ parando intenti anxietas, cum diffidentia conjuncta.

Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Quid hoc sibi vult?

Petimus hac prece, ne Pater cœlestis velit spectare peccata nostra, atque ita istorum remissionem nobis denegare: quandoquidem nullis rebus, quas petimus, digni sumus, nec quicquam merere possumus, sed ut velit nobis sua gratia largiri omnia. Quia quotidie multifariam peccamus, & nihil nisi pœnam meremur. Tunc nos quidem vicissim ex corde condonabimus iis, à quibus in nos peccatum est, illisque libenter benefaciemus.

XXXII De peccato.

Quid ergò intelligitur per debita?

Intelliguntur peccata cum omni suo reatu & stipendio.

Quid definitionem Peccati?

ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. 1. Joh. 3. Hoc est, Peccatum est exorbitatio à Lege.

Quotuplex est Peccatum?

Origi-

Quid est Originale?

Est justitiæ & integritatis concreatæ privatio, & innata omnium virium atque potentiarum in homine corruptio.

Unde est peccatum illud Originale?

Ex propagatione ab Adamo.

Ergóne omnes obligat ab Adamo propagatos?

Omnes naturaliter propagatos. Rom. 5. Peccatum per unum hominem intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic in OMNES homines pervasit, quatenus OMNES peccaverunt, illi etiam, qui non ad similitudinem prævaricationis Adæ.

Nunquid igitur infantes etiam obnoxii sunt peccato?

Omninò. Id quod præter Scripturas testatur etiam *Mors*, quæ est stipendium peccati. Rom. 6. & *Baptismus*, qui datur in ablutionem peccati. Act. 2.

Accidens, unde ab Apostolo vocatur Malum ADIACENS. Rom. 7.

Quid est Peccatum Actuale?

Est omne dictum, factum, vel concupitum contra legem divinam. August.

Quotuplex est peccatum Actuale?

I. Peccatum actuale est Commissionis, vel Omissionis.

II. Est vel mortale, vel veniale.

III. Est vel Infirmitatis, vel Malitiæ.

Dic ergò quid sint?

I.

Peccatum Commissionis est actuum vitiosorum in lege prohibitorum perpetratio.

Peccatum Omissionis est ab operibus debitis & in lege præceptis cessatio.

II.

Peccatum mortale est, cui assensus præbetur & dominium permittitur.

Pecca-

Peccatum Veniale est, cui per gratiam & virtutem Spiritus sancti ab hominibus renatis resistitur, & à DEO propter Christum venia datur.

III.

Peccatum Infirmitatis est, quod nobis vel invitis & repugnantibus, vel ignorantibus & tale nihil cogitantibus ex imbecillitate innata obrepit.

Peccatum Malitiæ est, quod animo destinato committitur.

Quodnam est effectum & consequens peccati?

Uno verbo: *Maledictio divina*, secundum illud Mosaicum; *Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Deut. 27.

Quomodo verò à isto peccati reatu homo liberatur?

Per gratuitam remissionem, cujus ergò petitio quinta ad DEUM instituitur.

Annon

Annon ergò per satisfactiones propriæ iste reatus aboletur?

Nequaquam. Alioqui enim remissio non esset remissio.

Quid igitur sibi volunt verba ista, Sicut & nos remittimus debitoribus nostris?

Verbis istis non remissionis causa, sed consequens ejusdem necessarium describitur: Et quid officii nostri sit, indicatur.

Sexta PETITIO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Quid hoc sibi vult?

DEUS quidem neminem tentat, sed tamen petimus hac petitione, ut ipse nos custodiat & conservet, ne Satanas, Mundus & Caro nostra nobis imponant, & nos à recta fide ad superstitionem, desperationem atq; alia gravia scelera & flagitia seducant: & ut maximè ejusmodi tentationibus solicitemur, ne succumbamus, sed ut tandem vincamus ac triumphemus.

Ergóne

Distinguendum est inter tentationem perditionis & tentationem probationis: seu, inter tentationem illam, quæ est ad Bonum, & alteram, quæ est ad malum. Jacob. cap. 1. DEUS non est tentator ad malum.

Septima PETITIO.

Sed libera nos à malo.

Quid hoc sibi vult?

Oramus hac prece tanquam summatim, ut Pater noster, qui in cœlo est, liberet nos ab omnibus malis ac periculis corporis & animæ, bonorum & honorum: Et ut tandem cùm hora mortis venerit, felicem vitæ exitum largiatur, nosque pro sua gratuita bonitate ex hac miseriarum valle ad se in cœlum recipiat.

Quotuplex est malum illud? XXXIII. De afflictionibus.

Duplex: Culpæ & Pœnæ. Malum culpæ est peccatum: Malum pœnæ est omnis adversitas, quæ nobis à DEO propter peccatum immittitur.

Quem

Quem verò in finem adversitates & afflictiones à DEO immittuntur?

Ad fidei nostræ probationem, & peccati agnitionem atque detestationem. 1. Cor. 11. *Si judicamur, à Domino corripimur, ne cum impio Mundo damnemur.*

Hactenus Propositio Orationis Dominicæ: sequitur nunc CONCLUSIO.

Quoniam tuum est regnum & potentia, & gloria in secula seculorum.

AMEN.

Quare adjecta sunt illa verba & quem habent usum?

Priora causam indicant, ob quam oratio ad Patrem cœlestem dirigatur, nimirum, quia ille solus *Sui juris* παντοκράτωρ, universi orbis dominator & omnipotens Auxiliator: solus religiosæ adorationis cultu afficiendus.

Poste-

certâ persuasione
Posterius orantem de cordis πληροφορίᾳ ac fiducia: deque exaudi- 95
tionis certitudinè monet.

SEQVITVR
PARS CATECHISMI
QVARTA
DE
SACRAMENTO
BAPTISMI.

Quid est Sacramentum?

XXXIV De Sacramētis in genere.

Sacramentum est actio ceremonialis divinitùs instituta ad gratiam Evangelii per externum & visibile Symbolum applicandam & obsignandam.

Quis instituit Sacramenta?

Qui est autor & collator gratiæ, ille quoque solus est autor & institutor Sacramentorum, nimirum DEUS.

Quid

Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Aug.

Quodnam intelligitur Verbum, & quodnam Elementum?

Verbum mandati & promissionis: Elementum deinde non quodvis, sed divinitùs ordinatum.

Annon verò ad Sacramenti integritatem etiam pertinet fides?

Non ad essentialem Sacramenti constitutionem, sed dignam usurpationem & salutarem perceptionem.

Forma Sacramenti quænam est?

Forma cujusque Sacramenti est ACTIO circa propriã ejus materiam divinitùs præscripta. Hinc dicitur: Sacramenta extra usum divinitùs præscriptum non habẽt rationem Sacramenti.

Quis est Finis Sacramentorum?

I. Fidei confirmatio. II. Promissionis Evangelicæ applicatio.

III. Dono-

III. Donorum cœlestium obsignatio. & IV. Professionis testificatio.

Suntné verò necessaria Sacramenta?

Omninò, cùm propter DEI præcipientis autoritatem, tùm propter nostram imbecillitatem & necessitatem.

Quomodo differunt Sacramenta V. T. à Sacramentis Novi?

1. Claritate seu perspicuitate. 2. Symbolorum & rituum diversitate. 3. Rei cœlestis dignitate. Vetera enim Sacramenta erant præfigurativa & significativa: nostra verò exhibitiva.

Quot sunt Sacramenta Novi T.?

Duo, secundum numerum Sacramentorum V. T. quibus illa successerunt: Baptismus sc. in locum Circumcisionis, & Cœna Dominica in locum Agni Paschalis surrogata.

De Baptismi Sacramento in specie. XXXV. De Baptismo.

Unde Baptismi vocabulum suam habet derivationem?

A Græco βαπτίζειν, quod est in aquâ intingere.

Annè verò oportet baptizandos in aquam totos immergi?

Tàm aquæ adspersio, quàm in eandem immersio λατρὸν ὕδατος, & Ecclesiæ usu atq; judicio approbata: ac proinde immersionis ritus præcisè haud obligat.

Quid significat iste immersionis ritus?

Significat, quòd vetus Adam debet subinde per mortificationem ac pœnitentiam in nobis submergi & extingui cum omnibus peccatis & malis concupiscentiis, atque rursus quotidiè emergere & resurgere novus homo, qui in sanctitate & justitia coram DEO vivat in æternum.

Quomodo definitur Baptismus?

Baptismus est Sacramentum Novi T. in quo ex institutione DEI homo peccator aquâ in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti perfunditur & ad vitam æternam regeneratur.

Eu

Baptismus non est simpliciter aqua, sed quæ sit divino mandato inclusa & Verbo Dei comprehensa.

Quod igitur est tale Verbum DEI?

Ubi Dominus noster JESUS CHRISTUS dicit Matthæi ultimo:

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.

Quis est Sacramenti hujus dispensator?

Ordinariè quidem Ecclesiæ minister: extra ordinariè verò & in summæ necessitatis casu Religiosus etiam Laicus utriusvis sexus, secundū exempla V. Testamenti.

Qui verò sunt baptizandi?

Christus jubet baptizare *omnes gentes*, absque ulla exceptione sexus, ætatis, conditionis, aut nationis. Et Johan. 3. universaliter ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, non introibit regnum cœlorum.

Quidnî! Idipsum enim efflagitat:

I. Propria ipsorum necessitas.

II. Mandati divini universalitas.

III. Promissionis fœderalis communitas.

IV. Christi parvulos ad se invitantis benignitas.

V. Sacramenti Judaici conformitas. Et

VI. Praxis Ecclesiasticæ perpetuitas.

Num alius etiam liquoris, quàm aquæ usus, in Baptismo est concessus?

Nequaquam. Baptismus enim ab Apostolo definitur, quòd sit Lavacrum AQVAE in verbo. Eph. 5. Et Christus nullum alium liquorem in Sacramenti hujus usum instituit, sanctificavit & consecravit, quam Aquam, de qua etiam expressè dicit, Joh. 3 Nisi quis renatus fuerit ex aqua.

Quibus autem verbis administrari debet Baptismus?

Secun-

Secundum præscriptum Christi, 101
In nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.

Quid verò innuunt ista verba, In nomine Patris, Filii & Spiritus sancti?

I. Sacrosanctæ Trinitatis invocationem.

II. Singularum personarum gratiosam in Baptismo operationem. Et

III. Baptizati ad cultum DEI obligationem.

Singularum ergò personarum Trinitatis mentionem fieri oportet in Baptismi administratione?

Sic, tum quia Christus ita sancivit, tum quia singulæ Trinitatis personæ in Baptismo operantur: Pater videlicet adoptat, Filius sanguine suo emundat, & Spiritus sanctus obsignat, regenerat atq; renovat.

At leguntur Apostoli baptizâsse in nomine JESU?

Hoc est, ad mandatum & in fidem JESU: id quod præscriptæ formulæ nihil derogat.

Operatur condonationem peccatorum, liberat à Morte & Diabolo, & donat æternam beatitudinem omnibus, qui credunt hoc, quod verba & promissiones divinæ pollicentur.

Quinam ergò sunt effectus Baptismi?

Effectus Baptismi in his, qui latente hypocrisi operationem Spiritus sancti non impediunt vel intervertunt, sunt hi. I. In gremium Ecclesiæ receptio. II. per Spiritū S. regeneratio. III. In album filiorum DEI adscriptio. IV. In societatem fœderis adoptio. V. à peccatis emundatio. VI. Renovatio, & VII. filiationis atque hæreditatis cœlestis obsignatio.

Proferantur Scripturæ testimonia?

Joh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non ingrediatur regnum cœlorum.

Marc. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.

Act. 2. Baptizetur unusquisq; vestrûm in remissionem peccatorū.

Rom. 6.

Rom. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christum JESUM, in mortem ipsius baptizati sumus.

Galat. 3. Quotcunque baptizati estis, Christum induistis.

Tit. 3. DEUS salvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, quem in nos effudit.

Eph. 5. Christus sanctificat Ecclesiam, mundans eam lavacro aquæ in verbo.

1. Pet. 3 Baptismus salvos nos facit, qui non est depositio sordium carnis, sed stipulatio bonæ conscientiæ erga DEUM per resurrectionem JESU Christi.

Quomodo verò Baptismus hæc omnia operatur?

Organicè per virtutem verbi. Ephes. 5.

Aqua enim procul dubio non efficit: sed verbum DEI juxta aquam & unà cum aqua, & fides, quæ tali verbo Dei in aqua credit, Quia aqua sine verbo Dei est simpliciter aqua, & non Baptismus. sed si verbum Dei adjiciatur, est Baptismus, hoc

 est salutaris aqua vitæ per lavacrum regenerationis in Spiritu sancto, sicut Paulus ait ad Titum capite tertio. Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter, per JESUM Christum Servatorem nostrum, ut justificati illius gratia, hæredes efficeremur, juxta spem vitæ æternæ, indubitatus sermo.

Annon ergò ex opere operato salvat Baptismus?

Nequaquam, sed *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. 16. Hinc vulgò in Scholis dicitur: Non Sacramentum sed fides Sacramenti justificat.

Quid ergò proderit infantibus per ætatem ad verbum audiendum inidoneis, ac proinde fidei nondum capacibus?

Cùm illis Baptismus sit Sacramentum regenerationis atq; adoptionis, per arcanam quoque Spiritus sancti operationem fidem in illis accendi ultrò & necessariò consequitur. Et Christus ipse fidei infantum testimoniũ perhibet manifestissi-

nifestissimum Matt. 18. Qui offenderit unum de pusillis his, qui in me credunt.

Sed quid fit de infantibus Christianorum ante Baptismum morte abreptis?

In his casibus in memoriam venire debent illa veteris Ecclesiæ axiomata: Gratia Dei non est alligata Sacramentis. Non privatio, sed contemptus Sacramentorum damnat.

Potestne Baptismus iterari, sicut alterum Sacramentum?

Nequaquam. Est enim maxima utriusque Sacramenti diversitas, quia Baptismus est Sacramentum *regenerationis*, Cœna verò Dominica Sacramentum Nutritionis & Confirmationis. Sicut ergò alimentum sæpè resumitur, generatio verò non iteratur, sed semel tantùm fit: ita Sacramentum etiam corporis atq; sanguinis CHRISTI sæpè quidem resumitur, Sacramentum verò Spiritualis ge-

 nerationis non item. Et deinde, repetitio illius Sacramenti habet mandatum, hujus verò non.

SEQVITUR PARS CATECHISMI QVINTA

xxxvi. De confessione privata.

DE PRIVATA CONFESSIONE ET ABSOLUTIONE.

Quid est Confessio privata?

Confessio privata est ritus, quo homo peccata sua vel generatim, vel speciatim coram Ecclesiæ ministro confitetur, eorumque remissionem petit, addens seriam de vita emendanda pollicitationem.

Quid

Est ritus, quo minister Ecclesiæ peccatori confitenti & deprecanti, in nomine CHRISTI Mediatoris ex Evangelio veniam annunciat & generalem gratiæ promissionem speciatim applicat.

Cur in Ecclesiis Reformatis ritus privatæ Confessionis & Absolutionis retinetur?

I. Propter autoritatem Christi dicentis, Matth. 18. Quicquid solveritis super terram, erit quoque solutum in cœlis. Et Johan. 20. Quorumcunque remiseritis peccata, remissa erunt eis.

II. Propter exemplatum V. tum N. Testamenti.

III. Propter multiplicem usum, qui est, disciplinæ Ecclesiasticæ cōservatio & informatio, perterritorum consolatio, & ad dignam Sacræ Cœnæ usurpationem præparatio.

rudionem

Quibus

Quibus verò hominibus annuntiari debet Absolutio?

Pœnitentibus.

Quid est pœnitentia?

Est hominis sensu peccatorum contriti & compuncti ad DEUM per fidem Christi reversio.

Quot sunt partes pœnitentiæ?

Pontificii quidem numerant tres, Contritionem cordis, Confessionem oris, & Satisfactionem operis: At revera non sunt plures, quàm duæ, partibus sc. doctrinæ cœlestis Legi nimirum & Evangelio respondentes.

Quænam ergò sunt duæ illæ partes?

Contritio & fides.

Contritio est cordis sensu peccatorum ex lege agnitorum, & metu iræ divinæ perterriti compunctio.

Fides

Fides est certa animi à peccatis ad propitiatorem CHRISTUM confugientis, & ex Evangelio contra Legis terrores sese consolantis atque erigentis fiducia. 109

Annon verò Nova obedientia etiam est pars pœnitentiæ?

Est ejusdem consequens & fructus, iuxta illud Salvatoris: Facite fructus pœnitentiæ. Luc. 3.



PARS

xxxviii. De Sacra Cœna.

PARS CATECHISMI SEXTA & ULTIMA.

DE SACRAMENTO COENAE.

Quid est Sacramentum Cœnæ?

Est Sacramentum Novi T. in quo secundum CHRISTI institutionem verum & substantiale ejus corpus atque sanguis unà CUM & SUB consecratis panis atque vini elementis ad manducandum & bibendum distribuitur, in mortis Dominicæ recordationem & remissionem peccatorũ obsignationem.

Quomodo definit Lutherus?

Sacramentum Altaris est verum corpus & verus sanguis Domini nostri JESU CHRISTI sub pane & vino nobis Christianis

Ubi hoc scriptum est?

Sic scribunt sancti Evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, & S. Paulus.

Dominus noster JESUS CHRISTUS in ea nocte, qua traditus est, accepit panem & postquam gratias egisset, fregit ac dedit discipulis suis dicens: Accipite, comedite, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in mei commemorationem.

Similiter & postquam cœnavit, accepto calice, cùm gratias egisset, dedit illis

illis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic Calix Novum Testamentum est in meo Sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis in mei commemorationem.

Quid verbis illis continetur?

Sacramenti hujus institutio, ejusque descriptio secundum omnes atque singulas ejus causas.

Annon verò huc etiam pertinet caput Johannis sextum?

Caput Johannis sextum non de Sacramentali, sed de Spirituali corporis Christi manducatione loquitur.

Quomodo differt manducatio Sacramentalis & Spiritualis?

I. Man-

I. Manducatio Spiritualis fuit etiam Patribus V. T. communis: Sacramentalis verò est Christianorum Novi T. propria.

II. Spiritualis est & fuit omnium temporum: Sacramentalis verò non.

III. Spiritualis semper fit ad salutem, Sacramentalis interdum etiam ad judicium.

IV. Spiritualis fit absque perceptione Symbolorum: Sacramentalis verò cum perceptione Symbolorum.

V. Spiritualis manducatio corporis Christi & spiritualis bibitio sanguinis Christi realiter non differunt: At Sacramentalis manducatio & Sacramentalis bibitio differunt.

Age igitur, recense singulas hujus Sacramenti causas; & quidem dic primò, quæ sit causa efficiens?

Causa efficiens est JESUS CHRISTUS θεάνθρωπος, qui non solùm passioni & morti jam proximus hoc Sacramentum instituit, sed etiamnum

 iamnum hodiè in Ecclesia præsens omnipotentiæ suæ virtute singulis communicantibus corpus & sanguinem suum reipsa exhibet.

Quæ est materia hujus Sacramenti?

Materia hujus Sacramenti gemina est: Elementaris & Cœlestis. Elementaris est Panis & Vinũ: Cœlestis est corpus & sanguis Christi.

Num verò divisim & seorsim accipitur res elementaris, & vicissim res cœlestis?

Nequaquam: sed unâ, indivisa atq; indistracta manducatione percipitur panis & corpus: itidem que unâ & indivisa bibitione vinum & sanguis, propter unionem Sacramentalem, cujus notæ sunt usitatæ illæ particulæ, IN, CUM & SUB.

Sed unde probatur corporis & sanguinis Christi in hoc Sacramento præsentia?

Adstruitur illa inprimis ex verbis Institutionis, quæ cùm sint nõ tantùm Sacramenti, sed etiam Testamenti verba, neq; ulla vel obscuritate vel ambiguitate, aut etiam manifesta absurditate laborent, κατὰ ῥητὸν & in sensu proprio atque literali accipi oportet. An-

Annon præter hoc alia etiam sunt argumenta, quibus præsentia ista confirmatur?

Imò sunt, ex quibus eminent hæc duo, quorum Unum à differentia Sacramentorum V. & N. T. Alterũ à reatu impiorum seu indignorum desumitur. Umbræ enim & figuræ V. T. cessârunt, & in illarum locũ ipsum corpus successit. Hebr. 10. Et Paulus indignè Sacramento utentes ipsius corporis atq; sanguinis Christi reos esse dicit. 1. Cor. 11.

Adde hũ dictum etiam aliquod Scripturæ!

Illustre est illud Paulinum, 1. Cor. 10. Panis quem frangimus, annon est cõmunicatio corporis Christi? Et Calix Benedictionis annon est cõmunicatio sanguinis Christi?

Qua est forma hujus Sacramenti?

Forma consistit ἐν δόσει καὶ λήψει: Et absolvitur quatuor actibus. 1. Panis & vini benedictione, & ad usum Sacramentalem sanctificatione. 2. Benedicti distributione. 3. distributi acceptione. 4. accepti deniq; manducatione atq; bibitione.

Cur omittis Fractionem, cujus etiam fit mentio in verbis Institutionis?

Quia illa non est ritus substantialis ad Sacramenti hujus essentiam vel integritatem pertinens: sed accidentalis, indifferens, temporaneus & ministerialis, distributioni inserviens.

At quare Missaticam oblationem præteris?

Quia per illam Sacramentum hoc pervertitur & in genus actionis prorsus alienum & peregrinum transformatur.

2. Neq; CHRISTUS ad sacrificii sui semel in ara crucis perfectè consummati histrionicam repræsentationem vel iterationem, sed recordationem & applicationem Sacramentum hoc instituit.

Quid autem de Papistica consecrati panis inclusione, circumgestatione & adoratione sentis?

Omnia hæc superstitiosa sunt, idololatrica, & extra verbum institutionis humanitùs cõficta. Ubi observari debent regulæ. De Sacramentis

mentis debet judicari ex propria sede. Et: nihil habet rationem Sacramenti extra usum divinitùs institutum. 117

Annon verò per Consecrationem seu Benedictionem Externa Elementa naturam suam amittunt, & in substantiam corporis atq; sanguinis Christi convertuntur?

Consecratio seu Benedictio non substantialem, sed Sacramentalē tantùm mutationem infert, quæ nihil est aliud, quàm Symbolorum ad usum Sacramentalem segregatio & sanctificatio. Retinent enim externa Symbola etiam post consecrationem, cùm pristinum suum colorem atque saporem, tum pristinā suam appellationē. 1. Cor. 10.

Ac proinde *Transsubstantiationis* dogma, ceu novum, heterogeneum & Sacramentorum doctrinæ contrarium repudiamus. alterius generis

Ad hoc etiam ζήτημα quæso respondē, Num Symbola Sacramentalia manu prius; quàm ore sint accipienda?

Ipsa quidem Symbolorum receptio necessaria est & à Christo de-

mandata: modus autem receptionis non est determinatus, sed in libera Ecclesiæ observatione positus.

Liberúmne etiam est sub una vel utraq; specie Sacramentum accipere?

Quoniam CHRISTUS Sacramentum hoc sub utraque specie instituit, neque institutionem illam postea uspiam mutavit vel retractavit, sed per Apostolum Paulum 1. Cor. 11. à dextris Dei Patris sedens eandem denuò iteravit & confirmavit; sub utraq; specie singulis utentibus administrari, & sub utraque usurpari necessum est.

Quem verò in finem CHRISTUS Sacramentum hoc instituit?

Fines hujus Sacramenti sunt, I. ut memoria passionis & mortis Dominicæ celebretur.

II. Salutaris illius fructus pœnitentibus & credentib. applicetur.

III. Iisdemq; remissio peccatorum obsignetur, &

IV. fideles Christo magis magisq; uniantur.

Quid

Id indicant nobis hæc verba: Pro vobis datur & effunditur in remissionẽ peccatorum. Nempe, quòd nobis in Sacramento condonatio peccatorum, vita & justitia per hæc verba tribuuntur. Ubi n. remissio peccatorum est, ibi est quoque vita & justitia.

Qui potest corporalis manducatio tam magnum quid efficere?

Manducare ac bibere quidem non efficiunt, sed illa verba, quæ hic stant: pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum. Quæ verba sunt circa corporalem hujus cibi & potus participationem tanquam caput & summa in Sacramento. Et qui fidit his verbis, ille habet quod dicunt ac sonant, Nempe remissionem peccatorum.

Quis autem utitur hoc Sacramento dignè?

Jejunare & corpus suum præparare est quidem bona & externa disciplina: At ille est verè dignus ac probè paratus, qui habet fidem in hæc verba: Pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum. Qui verò his verbis non credit aut dubitat, ille est indignus ac imparatus. Quia hoc verbum PRO VOBIS requirit omninò corda credentia.

Quid ergò ad dignam Sacræ Cœnæ usurpationem requiritur?

I. Ut homo peccata sua agnoscat, confiteatur, detestetur & deprecetur.

II. Ut Bona in Sacramento promissa indubitata fide amplectatur.

III. Ut proximo offensas ex animo condonet: & vitæ emendationem seriò meditetur.

1. Corinth. 11. v. 28. 29.

Homo PROBET seipsum, & sic de pane illo edat, & de calice illo bibat. Quicunque enim indignè manducat aut bibit, ille comedit & bibit sibi ipsi judicium, non dijudicans corpus Domini.

Num etiam infantibus præberi debet hoc Sacramentum?

Non, quia illi neque seipsos probare, neque corpus Domini dijudicare possunt.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1026876915/phys_0122

Aliud.

Christi Sterben, Erlöst mich vom verderben
Christi kräfftiger todt, erret mich auß des todtes noth
Christi blutt, macht mich gerecht vndt guett,
Christi opffer vndt verdienst, Ist mein hichster
gewienst

Gebetlein vmb ein seliges Endte,

O Jesu Gottes lämmelein
Ich leb oder sterb so bin ich dein
Ich bitt laß mich mit dihr zugleich
Ein erbe sein in deinem Reich
Den was wer sonst dein sterbens nohtt
So viel striemen vndt wunden Rohtt,
Wen ich auch nicht der seligkeitt
Geniessen solt in ewigkeitt
Warumb hastu dein leib vndt leben
Im grab verschlossen vndt aufgegeben
Wen nicht mein todt durch deinen todt
Verjagt selt werden du trewer gott,
Darumb o Jesu stehe mihr bey
Gewissen trost vnndt hulff verley



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1026876915/phys_0126

Quid ergò prodest sic com
Id indicant nobis hæc v
datur & effunditur in re
torum. Nempe, quòd
mento condonatio pecc
justitia per hæc verba tri
remissio peccatorum est
vita & justitia.

Qui potest corporalis mandu
quid efficer
Manducare ac bibere qu
unt, sed illa verba, quæ h
bis datur & effunditur i
peccatorum. Quæ verb
poralem hujus cibi & po
nem tanquam caput &
mento. Et qui fidit his v
quod dicunt ac sonant,
nem peccatorum.

Quis autem utitur hoc Sa
Jejunare & corpus suum
quidem bona & extern
ille est verè dignus ac pr
habet fidem in hæc verb
tur & effunditur in rem
torum. Qui verò his
aut dubitat, ille est indi
tus. Quia hoc verbum
quirit omninò corda cr

mm Inch
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
Patch Reference numbers on UTT
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 033
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8
UB Rostock
4.5 5.0 5.6 6.3
the sc

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1026876915/phys_0127